MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM

Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Incipit prologus.

CUM per singulos kalendarum dies sanctorum natalicia sollicita curiositate perquirimus, et martyrologii paginas haut absque labore nimio peragramus. Nec non et iam passionalium actus eorum, quos iam percurrimus, quasi aliquis diversorum graminum flosculos in pratis uberrimis legere valeamus. Ad id peragendum nosmet infirmos et impotentes fore conspicimus. Tamen non ambigimus quia qui asine Balaam modulos humane facundie prebuit adloquendum, ipse sit potens et iam nobis peccatoribus sermonis tribuere incrementum, et sue miserationis porrigere calculum, et inquinamenta purgare labiorum nostrorum. Igitur domino adiuvante ceptum gradiamur iter: et si quid ipse donavit sedulis annotare curemus. Lectorem providum ammonentes, ut ea que in hoc opusculo invenerit, pio corde percurrat, et si quid minus erudite repperit corrigat, et ignorantie deputet non temeritati.

Passio sancti Ignatii martyris

CUM TRAIANUS Romanorum suscepisset imperium, Ignatius discipulus Iohannis apostoli et evangeliste, vir in omnibus apostolicus, secundus post apostolos factus, qui post Evodium suscepit ecclesiam Antiochenorum gubernandam, que olim a tempestatibus et persecutoribus exagitabatur, tanquam bonus gubernator omnes infestationes suis orationibus repellebat, et ieiuniis atque assidua doctrina, et labore spiritali incumbentem tempestatem sua virtute avertebat, timens ne aliquem pusillanimem aut infirmum amitteret. Denique letabatur de ecclesie inmobilitate, cum quiescerent paululum a persecutione. Considerabat autem apud semet ipsum quod nunquam posset ad dilectionem Christi in pleno pertingere, neque perfectum ordinem doctrine obtinere, nisi martyrii facta confessione domino appropinquaret. Unde non et paucis annis permanens in ecclesia lucerna deifica, singulorum corda illuminare per scripturarum expositionem precibus assiduis meruit. Post ea vero nono anno regni Traiani remeante eo de victoria Schitarum et Dacorum et diversarum gentium, et putante quod possit sui imperii amittere nisi christianorum piissimum cultum suis demonibus ad ydolatriam inclinaret vel expelleret, cum universis gentibus persecutionem comminaretur, omnes dei cultores aut sacrificare, aut etiam mori conpellebat. Tunc igitur timens pro ecclesia Antiochenorum fortissimus miles, ultro perrexit ad Traianum transeuntem in illo tempore per Antiochiam, et festinantem ad Armenie partes. Cumque in facie regis Traiani astitisset, Traianus dixit: Quis es tu cacodemon, qui nostra precepta festinas transgredi, et aliis persuades ut male pereant? Ignatius dixit: Nemo theophorum cacodemon vocat. Longe enim recedunt a servis dei demonia. Scio quidem quia eis molestus sum. Propterea me malum ac demonem vocasti. Confiteor enim me Christum celestem regem habere, et dissolvo illorum consilia. Traianus dixit: Et quis est theophorus? Ignatius dixit: Qui Christum habet in pectore. Traianus dixit: Et nos tibi non videmur habere deos in pectore, quos habemus auxiliatores contra hostes? Ignatius respondit: Et demonia gentium deos existimans erras. Unus est enim deus qui fecit celum et terram et mare et omnia que in eis sunt, et unus unigenitus Ihesus Christus filius eius, cuius amiciciam adquisivi. Traianus dixit: Crucifixum dicis a Pontio Pylato? Ignatius dixit: Illum dico qui crucifixit peccatum et inventorem eius, et illum qui non iustificat ydolorum servitutem, et qui in corde suo hoc sapit. Traianus dixit: Ergo tu intra te ipso Christum gestas? Ignatius dixit: Utique. Scriptum est enim: Habitabo in eis et inambulabo. Traianus dixit: Ignatium censui dicentem in ipso continere crucifixum, vinctum a militibus perduci ad magnam urbem Romam, escam bestiis per avocatione populi. Hanc sententiam audiens sanctus martyr Ignatius cum gaudio exclamavit dicens: Gratias tibi ago domine, quoniam me perfecte honorasti in tua dilectione, et dignum me fecisti cum apostolo tuo Paulo vinclis ferreis alligari. Hec dicens et cum leticia suscipiens vincula, et orans primo in ecclesia, et eam cum lacrimis commendans domino, sicut aries magnus boni gregis dux, a ferocissimis militibus ducebatur crudelissimis manibus ad Romam bestiis ad comedendum. Fuerunt autem custodientes eum persecutores numero decem, inmansueti quidem et bestiarum mores habentes, et quamquam cottidie beneficiis agerentur a fratribus, nichil horum mitigabat eorum iracundiam, sed crudelibus oculis et manibus affligebant sanctum. Sicut et ipse in epistola testatur dicens: A Syria usque Romam cum bestiis depugno, per terram et mare vinctus cum decem leobardis, quod militaris custodia est, quibus cum bene factum fuerit peiores fiunt. Tollentes ergo beatum Ignatium pervenerunt ad Seleuciam, unde et navigare habuerunt. Et respiciens sanctus Ignatius post multum laborem ad Smyrneorum civitatem, cum multo gaudio descendens de navi, festinabat ad sanctum Policarpum episcopum Smyrneorum, ut coadunatorem suum videret. Fuerunt autem ambo discipuli Iohannis apostoli. Ad quem adductus spiritaliter ei communicans, et congaudens, et vinclis eius coexultans rogat eum adicere ad propositum suum. Magis autem communiter omnis ecclesia rogabat eum per sanctum episcopum Policarpum et per sanctos presbyteros et diaconos. Sed et omnes ecclesie festinabant ad eum ut participarentur de benedictione eius spiritali. Maxime autem et sanctum Policarpum hortabantur ut eum animaret, ut consummatus a bestiis invisibilis mundo effectus presentaretur obtutibus Christi. Et exinde proficiscens, Troie appropinquavit. Adductus autem Neapolim per Philippos transiit Macedoniam pedibus, et Epirum que est iuxta Epydaunum secus mare, atque exinde navim ascendens navigavit per Adrianum pelagus. Et cum inde ascenderet ad Tyrrannicum et transiret insulas et civitates, ostensum est sancto Pociolo quod ipse transiturus esset, et obviam ei exiens festinabat sequi vestigia eius tanquam apostoli Pauli, et non potuit sequi, spiritu navis prope incumbente. Et beatificans